



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Sanctorvm Qvinqvaginta Ivris-Peritorvm Elogia**

**Roberti, Johannes**

**Leodii, 1632**

S. Genesis Martyr Arelatensis, Romanvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45032**

S. GENESIUS  
MARTYR ARELATENSIS,  
ROMANVS.

ASSERTIO IVRISPER.

B. Paulinus Nolanus Episc. in  
Martyrio S. Genesij.

S. GENESIUS *eam officij partem studio, & arte complexus est, quæ PATRONORVM verba vel noua signorum velocitate, vel dextera, sonum vocis æquaret* Ibid. *Ante Tribunal EXCEPTORIS fungebatur Officio.*

**S**inamus Sanctum de Sancto scribere, Saiebat S. Thomas Aquinas, cum intelligeret à Sancto Bonauentura scribi vitam Sancti Francisci. Iure idem hinc dicam, sinamque Sanctum Episcopum Paulinum de Genesio Sancto NOTARIO, & Martyre scribere. Mihi satis erit honoris, si eius verba descripsero.

*Accidit, vt, cum ante Tribunal, Exceptoris fungeretur officio, iniusto, atque sacrilego mandato persecutionis iussa ederentur, quæ deuo-*



deuotus DEO repudiaret auditus, & imprimere ceris manus sancta respueret. Abiectis ergo tabulis ante pedes Iudicis, ministerium sacrilegum sacrata iam Domino mens refugit. Et ut in nullo à præceptis Euangelicis actus Martyris deuiarent, quibus declinare persecutionis impetum, vel permittimur, vel iubemur: aliã atque aliã, non solum latebrã, verum etiam ciuitate mutatã; cum & alio loco scriptum sit, Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: ab irã se furentis Iudicis paulisper occuluit: Sed iam Dominus, qui per Spiritum Sanctum, futuri Martyris seruabat arcana; subeunda constantiam passionis, vel fecerat, vel videbat: neque patiebatur differri coronam, cum videret, paratam esse victoriam. Itaque percussoribus suis eum obtulit, & ijs, quorum in eundem auida crudelitas inhiabat, ostendit.

Atque is, vbi se perspicit deprehensum instinctu Domini Rhodanum petijt, & sancta fluuio membra committit: vt eum illic à contagione mortali, velut alterius Iordanis undis, occultus Baptista purgaret; & mutuo, alternoq; mysterio, & aquis corpus, & aquas corpore



corpore consecrauit. Atque hac causa profecto extitit, vt natandi adminiculo perueniret: qui exemplo B. Petri ad Christum tendens, per summa gurgitum ambulare potuit.

Transgressum continuò in vltiora fluminis, & subeundi præmij passionis, Christo sponse securum, eo in loco, quem effusioni sanguinis gloriosi Dominus elegerat, quique nunc oratione assiduâ, & votis nunquam irritis frequenter atur, percussor assequitur, exoptatq; gladij ictu, festinantem ad DEVM animam vinculis corporis, quibus tenebatur, absoluit: & vtrâq; substantiâ propriæ originis elementa repetente; terrena interim terris membra commendat, & caelestem spiritum emittit ad caelum.

Prouiderunt tamen fideles temporis illius DEI serui, vt vtramque fluminis ripam geminatis vrbibus ambiendam, vnius Martyris tutela muniret. Nam in ipso beatae passionis loco, consecrati cruoris vestigia relinquentes, in alterum fluuij latus honoratas reliquias transtulerunt: vt vtroque praesens Sanctus Genesius, illic sanguine haberetur, hic corpore.

Obijt Anno Christi 280. 28. Augusti.